

Alte Drucke

**HISTORIA || Lazari à Christo in vitam revocati ex || 11. capite
Johannis, elegiaco car-|| mine conscripta, || AC ||
NOBILITA-||TE GENERIS, PIETA=||TE ...**

Werner, Christoph

Lemgoviae, 1590

VD16 ZV 30739

HISTORIA LAZARI A CHRISTO IN VITAM REVOCATI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148759

HISTORIA LAZARI

A CHRISTO IN VITAM RE-
VOCATI.



*U*M spirant tepidi pulso jam frigore soles,
Vernaq; torpentes suscitatur aura rosas,
Quaę perusta gelu tamquam defuncta jacebant,
E viridisurgunt virida facta solo:
Ipse canam tristi consumptum morte, **REDEMPTOR**
LAZARON è stygiis ut revocavit aquis,
LAZARON hunc, quarto quem Sol non viderat ortu,
Et grave cuius olens putre cada ver erat.
CHRISTE fave nomenq; tuum laudesq; canenti,
(Difficilis laudi non solet esse Deus)
Illustraę meum pectus vocemq; gubernas,
Dum tua per populos facta stupenda fero,
Ut tenebris merjos animos gens nescia veri,
Dum stupet, ad cælos patria recta levet,
Errorumq; viis & turpi fraude relicta
Justitiam: vitæ spe melioris, amet.
Vos quoq; Buschiaco gemini de sanguine **FRATRES**,
Spes patriæ, magnus Pieridumq; favor,
Ferte gradum comites, sacrosq; revivite mecum
Fontes, & tenere tangite plectra lyre.
Non Niobes casus, Semeles nec atrocia fata,
Dia nec ut perit Laïdamia, canam.
Magna canant magni, quibus est magis æquus Apollo,
Et dedit auratam Calliopea chelyn.
Parva cano parvus, quam vis mihi magna videntur
Sacra, tamen vulgus vilia Sacra putat.
Et nisi quæ referant, **TITANES PELION OSSAE**
UT SUPERIMONANT, carmina nulla placent.
CVI QVE SVVM PVLCRVM: nostra celestia Musæ
Sacra placent, vetiros odit & illa jocos.

Hinc prædulce melos summo modulata J E H O V A E
 Sæpe fuit, præsens hinc meditatur opus.
 Quicquid id est, C H R I S T O Christumq; paravit amanti,
 Et pius est C H R I S T I facta referre labor.
 Quid novus exoritur clamor? quis in urbe tumultus?
 Era quid in templis ære repulsa sonant?
 Quæ manus ista virum? cur pullis vestibus astant
 Bethania matres, Bethaniaq; nurus?
 Scilicet hic lacrymas color arguit, illa virorum
 Turba repentini signa doloris habet.
 Aspicias ut gemine media de plebe puella
 Non cessaturis fletibus ora rigant?
 Ut rumpunt pariterq; sinus pariterq; capillos,
 Nec pudet in teneras unguibus ire genas.
 Ecce sed adducto procedit pompa pheretro,
 Concinit & mæstos præfica mæsta sonos!
 Omnes volvuntur luctu juvenesq; senesq;
 Fallor? an exsequias obvia turba parat.
 Exsequias fratri (propius jam cerno) sorores,
 Ante diem Parca quem rapuere, parant.
 Namq; (recordor enim) possent nonam proxima Marti
 Fulserat, heu fati tristibus orta, dies,
 L A Z A R U S ut cunctis defectis viribus æger
 Sollicito posuit languida membra toro,
 Nec mora succensus febris depascitur artus,
 Torret & immitis debile flamma latus,
 Non aliter quàm si projectas litoris algas
 Incensas rapidis Phœbus adurat equis.
 Non ullus cibus ora juvat, nec lumina somnum
 Accipiunt fesso nec venit ulla quies.
 Quærantur medici, medici nil ferre salutis,
 Artificum doctæ nil valere manus.
 Heu nihil hic artes, nihil hic medicamina profunt,
 Nataq; Pestanis gramina mille jugis.

Quid

Quid? quod & ipse potens sacris Epidaurius herbis
Hanc pestem medica tollere nescit ope,
Nescit, & invalido vitæ spes defecat omnes,
S I C adeo docta plus valet arte malum.
Sicut enim latè consumens corpora cancer
Serpit, & in vitium proxima membra trahit:
Sic lethalis hyems in saucia pectora venit,
Venit & hinc animæ nobile clausit iter.
Ergo jaces tandem crudelibus obrutus umbris
Lazare, sed meritos obrutus ante dies.
Qualis ubi riguis vernans amarantibus in hortis,
Vomere succisus prætereunte, jacet.
Quale vel aprici splendens lilia ruris
Falcifera pereunt dilaniata manu.
Invida mors quare juvenes florentibus annis
Eripis, & pulcris injicis atra manus?
Sic prius Actorides cecidit tuus ignis Achille,
Sic prius Hyrtacides Hyrtacidaq; comes.
Sic Pallas periit viridi consumptus in ævo,
Sic quoq; Naiadum crimine raptus Hylas.
Sic rosa, sic viola languent: fessumq; papaver
Demittit pluvia fortè gravante, caput.
Heu breve vita bonum cunctis mortalibus ægris,
Heu spes fallaces, heu breve vita bonum!
Quàm citò, quæ pridem fluvialibus innatat undis,
Bulla repentino turbine fracta perit,
Quàm citò vere novo ridenda gramina campi,
Assiduo rapidi Solis ab igne cadunt,
Quàm citò pallescunt autumnis sidere frondes,
Arboreæ frondes, quas nova læsit hyems:
Tam citò nostra perit lechi violata furore
Vita, per incertas cladibus acta vices.
Infortunatos homines, tot secula degunt
Per nemorum saltus de via lustra, feræ.

In-

Improbæ belligeræ cornix invisa Minervæ
 Nongentas messes, vix moritura, videt.
 Huic prope par annis, succo quæ vivit amomi,
 Et nova de proprio funere surgit, avis
 Nos, pater omnipotens cæli quibus annuit arcem,
 Tam fluxa vitæ conditione sumus.
 Terra suos reparat, quos perdidit antè, colores,
 Cum posuit tristes frigoris aura minas.
 Tunc violas iterum, tunc florum mille figuras
 Aspicias viridi suavè virere solo.
 At brevis humani cum flosculus occidit ævi,
 Quæ vehat ad superos, semita nulla patet,
 Et nisi fata velint manes Acheronte reverti,
 Pulsabis frustra limina surda manu.
 Ergo quidò nobis spe subblandimur inani,
 Sectantes vitæ turpiter hujus opes?
 Sic quasi victuri Cumææ secula vatis
 Simus. & hinc Pylæi tempora longa senis,
 Sic quasi lanificæ dissolvant stamina Divæ,
 Et minùs observent quem statuere, diem.
 Hæc postquam stolidas infecit opinio mentes,
 Quid deceat sortem, non meminere suam.
 Ille leves tumido fastu gravis ambit honores,
 Delitias vitæ quos putat esse suæ,
 Hunc Bellona ferox agit & truculencia Martis,
 Atq; cruentata præda perenda manu.
 Ruris opes alius magno conamine quærit,
 Jugera cumq; tenet plurima, plura cupit,
 Ille lueris inhians currit per saxa, per ignes,
 Mille ferens ponti cædia, mille viæ.
 Exstruit ærias multis hic sumptibus arces,
 Jam jam tacturas sidera celsa putes.

Quis

Quis furor est Calo tantas educere moles,
 Nec non Titanum facta nefanda sequi?
 Interea totum ruit indignata per orbem
 Funestum tenebris mors adoperta caput,
 Ac veluti sine lege furit Vulcanus, & atris
 Depopulans flammis obvia quæq; rapit:
 Impete sic vasto sternens nil tale timentes
 Fulminat, ac cæcis illa triumphat equis.
 Non ætas viridis, non pulcræ gratia formæ,
 Non præcella Necem roboris ausa morant,
 Nec pietas, nec honos, nec dextera prona iuvandi,
 Pectoris aut dotes flectere fata queunt.
 Disparidi sed enim jungunt Telamone creatum,
 Nireæ Therstæ, pignora chara patri.
 Divitiis Cræsum superes licet, Orpheæ cantu,
 Iustitiæq; Numam, Gnosiacumq; ducem,
 Nil penso, nihil ipsa tamen fatalibus adder
 Staminibus Lachesis, de tribus una soror.
 Sic adeo nulli tres exorare puellas
 Contigit, immotæ pensa se vera trahunt.
 Hic modò quilibet sublatu morte reliquit
 Æthereum, quantis dotibus auctus erat?
 Quàm pietatis amans? non hoc metuentiùs ullum
 Numinis ingenium Bethanis ora tulit.
 Vos, Superi, testes hunc religionem Deorum,
 Donec vita fuit, nil habuisse prius.
 Annua si qua dies solenni splendida ritu,
 Seu precibus castis si qua dicata fuit,
 Adfuit hic sacris, multis è millibus unus,
 Conjungens sanctis vota precesq; viris.
 Ludicra non solitus festis tractare diebus,
 Vertere seu dulci pocula plena mero,
 Aut levis exercere, pius quæ reprobet usus,
 Quæ non aeterno sint operata Deo.

B

Nos

Nos vice mutata colimus solennia festa,
 Orgia ceu Bacchi turba prophanasoles.
 Sancta frequentamus raro delubra Deorum,
 Inq̃ pias raro solvimus ora preces.
 Nullus honor Divum curæ, reverentia nulla,
 Propria nec tangit pectora nostra salus.
 Quin etiam multo mentem vincire Lyæo
 Suevimus, & festos contemnerare dies,
 Nil veriti magnam commoti Numinis iram,
 (Sic adeò nostro cessit ab ore pudor)
 Ac veluti Sodome, quam sulphuris imbre jacebat,
 Antè fuit quodvis ausa patrare scelus,
 Sic nos irruimus vitiis, sic ante ruinam
 Audemus vetiti criminis omne genus.
 Illa sedùt tandem fatum, miserabile fatum
 De calis piceo flumine mersa tulit:
 Nos ita supplicium manet exitiale: **NEFANDA**
IMPIETAS finem nescit habere bonum.
AT redit, unde fuit primum digressa Thalia,
 Injunctumq̃ sibi tēdere pergit opus.
 Res angusta domi quamvis tibi, **LAZARE**, quondam,
 Et lare sub parvo copia parva fuit,
 Usq̃ tamen sanctum, tenui pro sorte, jurabas
 Ære ministerium, templa sacrata, scholas.
 Sæpe salutiferi spargentes semina verbi
 Foristi, mensa dans alimentatua,
 Doctoresq̃ pios merito dignatus honore,
 Atq̃ Medusæas es veneratus aquas.
 Sed quotus es, nostra qui tempestate Camenas
 Bellerophontæi numina fontis amet?
 Aspera sunt nimium doctis hæc secula Musis,
 Et fastiditus Phæbus ubiq̃ jacet!
 Musa fuit quondam fulvo preciosior auro,
 Sacra Caballini floruit unda vadi.

At nunc barbaries colitur, nunc ordine verso
 Nummus ubi loquitur, Tullius ore silet.
 Nam ceu prisca fides decrescit, & inclyta virtus,
 Sic tua Phæbe jacet gloria, priscus honor.
 Proh scelus, Aonia temnuntur ab omnibus artes,
 Temnitur Ascreum, florida sylva, nemus.
 Quid jurat ingenium, facilis quid copia linguae?
 Verba quid imparibusnectere posse modis?
 Fabula sunt vulgo ter tres Heliconis alumnae,
 Sistitur extremas Pieris ante fores.
 Tu verò verbis, tu re, dum vita manebat,
 Iuvisti Clarii numina docta gregis,
 Sæpe recepisti miseros sub limine tecti,
 Ejecit laribus quos fera turba suis.
 Adde quòd hospitium CHRISTO persæpe dedisti,
 In terris gessit cum leve carnis opus,
 Ut nos assereret, quibus excideramus, Olympi
 Sedibus, hæredes efficeretq; DEI.
 Sic igitur nobis, sic te, pie LAZARE, dura
 Persephone meritum sustulit ante diem,
 Nec tua te virtus, nec dextera prona jurandi
 Incolumem servat, nec pietatis amor.
 Quin absente procul CHRISTO Bethanide terra
 Occidis, heu sævas in tua fata DEAS!
 Vixisses saltem, donec remeasset ad urbem,
 Qui convivæ tuus, qui tuus hospes erat,
 Ut, quia suppetias tulit antè jacentibus ultro,
 Ipse tibi præsens exhibuisset opem.
 Talia nam fecit divinæ robore dextræ,
 Qualia mortalis non agit, egit, aget.
 Exsanctis mulier sacri velamina CHRISTI
 Tangit, mox tacto convalescitq; DEO.
 Tollere quam nescit succo medicina salubri,
 Immundam verbo sustulit ille luem,

Et quibus obstructas ibat vox nulla per aures,
 Reddidit auditus munera grata sui,
 Reddidit eloqui (dictu mirabile) donum,
 Os quibus argutæ vocis inane fuit.
 Quid loquar? ut Naimæ juvenem revocavit in auras,
 Unica qui viduæ spes genitricis erat.
 Quid? quod & exanimis CHRISTO clamante resurgit
 Virgo, levans senium, magne Jaire, tuum.
 Et centum Solyme vidit miracula CHRISTI,
 Quæ modò non nostris sunt memoranda sonis.
 Martha soror, cujus sollers industria novit
 Officio dominum demeruisse pio,
 Tuq; REDEMPTORIS nardo quæ crura linibas,
 Siccabasq; pedes crinibus usa tuis.
 Ambæ germanæ, reverentes Numinis ambæ,
 Ecquando nato dicitis ista DEI?
 Dicite, vitales si fortè reducat in auras
 Busta sub ingesta condita fratris humo.
 Ne dubitetis ei blandas adhibere querelas,
 Vincuntur molli Numina sancta prece.
 Fallor? an hoc pietas jamdudum pandere CHRISTO
 Vos jubet, & fratris vota suprema volunt.
 Nam decumbentis (memini) venerabile CHRISTI
 Salvifici multum nomen, in ore fuit
 Hunc vocat, hunc optat solum, meminitq; refertq;
 Hoc etiam coram claudere fata cupit.
 Dum licet, absentem medicæ jam mortis in hora
 Nominat, & CHRISTVM vox quoq; summa sonat.
 Ah CHRISTVM vox summa sonat, fatalia donec
 Discidit immixta stamina Parca manu.
 Inclutus interea, rerum non inscius HEROS,
 Cæcula Jordanis flumina propter agit,
 Hic ubi Zacharides primum divina secutus
 Jussa, pium sacro merjerat amne gregem,

Es. sa-

Et factus ipse D E O cinctus lustralibus undis,
 Prorsus ut ablueret crimina nostra, fuit.
 Hunc de fraterno certum fecere sorores
 Morbo, solventes talibus ora sonis:
 Prosequeris venerande tuo quem, C H R I S T E, favore,
 Corpore nunc agro L A Z A R V S ecce jacer,
 Ergo veni, fratrem clemens in vise, jacenti
 Ipse salutare, qui potes, affer opem.
 Ille sed hic, inquit, nihil est lethale timendum,
 Pestis ad eternam non facit ista necem.
 Gloria spectatur magni Genuocis, & inde
 Filius eternum quo celebretur, erit.
 Sic ait, ac illa tandem regione moratur,
 Donec bis Titan aequore mer sit equos.
 Tertia lux radius postquam patefecerat orbem,
 Et dederant Phæbo sidera pulsa locum,
 Bissenos procures turba semotus ab omni
 Cogit, & his placide vocibus usus ait:
 Est satis hic actum, cari, mea cura, sodales,
 Sunt alio nobis castra locanda solo,
 Hinc age digressi genitalia rura petamus,
 Quam veteris Judæ clara propago colit.
 Hi gentis, dicunt, sceleratus an excidit ausus?
 Hujus es oblitus tam citò grande nefas?
 Anne paras iterum caput objectare periclis,
 Obruat ut saxis te male sana cohors?
 Hic age C H R I S T E mane, locus hic discriminis exors,
 Hostilis non est hic metuenda manus.
 Ille metum, dixit, tristes & ponite curas,
 Bis senas horas non habet una dies?
 Siquis carpit iter clara sub luce viator,
 Illius offender semita nulla pedes.
 Cernit enim cautus sua quod vestigia flectat,
 Auricomo dubios Sole surgante gradus.

Qui verò fugiente die, Phæboq̃ remoto
 In tenebris graditur, nocte silente, viam,
 Offensos trahet ille pedes, quòd tempore cæco
 Vadit, & optata lucis honore caret.
 Dixerat : & pronus sua condere lumina cœpit
 Cynthus, & fuscis Hesperus ibat equis.
 Postera vix teneras aurora refecerat herbas,
 Prævijs & soli lucifer ortus erat,
 Alma DEI soboles iterum sic ora resolvens,
 O socii, nobis qui fuit hospes, ait,
 Pectore quem fido semper complexus amabam,
 LAZARVS en somnum membra solutus agit,
 Ibo sed ipse mea sopitum voce ciebo,
 Excitiam somnum luminibusq̃ gravem.
 Discipuli contrà non intellecta Magistri
 Excipiunt tali mystica verba modo :
 Ergo saluus erit, placidam per membra quietem
 Si capit, & fessum si sopor altus habet.
 CHRISTVS at indociles animo miseratus alumnos
 Sic voces, inquit, percipite meas,
 Occidit infelix (nec enim me vera pudebit
 Dicere) qui nobis dulcis amicus erat,
 Occidit, & mœstas propero tristesq̃, reliquit
 Funere germanas, pectora fida, suas.
 Bis pater Heliadum liquidis jubar extulit undis
 Oceani, fessis bis juga solvit equis,
 Et jam terna suos iterat Pallantias ortus,
 Ex quo defuncti membra sepulta jacent.
 At quòd Bethania, procul hinc, procul absumus urbe,
 Lazarus infirmo corpore quando fuit,
 Aut animam quando moriens efflavit in auras,
 Supremumq̃, dedit voce gemente VALE,
 Lator & ô socii (si vobis vera fatebor
 Vos propter tacita gaudia mente fero,

Ut,

Ut, cum de tumulo virum prodire videtis,
 Et mensa, solitus qua fuit antè, frui,
 Pectore mi toto posthac credatis, ab uno
 Numine pendentes speq, fideq, meo.
 Hinc age cedentes juga Pallade facta petamus,
 Incluta Bethania quà jacet ora plage.
 Hic ego vitales revocabo lucis in auras,
 Funere quem tristi meruit acerba dies;
 Mortis & imperium (ius insuperabile) vertam,
 Viribus & triplices dispoliabo Deas.
 His dictis abiit: cuncti simul ore fremebant,
 Mirantes magni verba stupenda DEI,
 Accinctiq, Ducis vestigia nota legebant,
 Carpentem passu non remorante viam.
 Jamq, videbatur, quæ mœnia tollit ad astra
 Hierichûs, palma semper amena comis.
 Hic ubi nate DEO, qui te vocat inter eundum
 Das cæco lucem, lucis origo, suam,
 Cæco, quem miseris ita nixibus edidit olim
 Infelix nati conditione parens.
 At non infelix jam, qui nova lumina sentit,
 Atq, videt, quem non viderat antè, diem.
 Mox rutilis urbem CHRISTVS suadentibus astris
 Intrat, & intrantem parve Zachæe, petis,
 Utq, tuis gratus succedat sedibus hospes,
 Offers hospitii jura fidemq, DEO.
 Paret & ingressus sociis comitantibus ædes,
 Te docet ad cæli nobile quà sit iter.
 Et jam quarta polo revehit Titonia lucem,
 Lazarus in vitam qua revocandus erat;
 Rursus iter tentans Soboles æquæva Tonanti,
 Inceptam pergit continuare viam,
 Eminus apparet, quem plurima vestit oliva
 Mons sacer, & cujus sidera tangit apex.

Jam

Jam propè contigerant urbem, nec longius inde,
 Dextera quàm saxum mittere posset erant.
 Cum levis ecce volat totam vulgata per urbem
 Fama, per aërias turbine lata vias,
 Atq; venire canit Nympha Nasarichide natum,
 Qui se Divorum diceret esse genus,
 Qui sine Pœoniis ad opemq; potentibus herbis
 Tollere morborum noverit omne genus,
 Simplice qui verbo, divina robore vocis
 Sanet eos, quorum corpora languor habet.
 Addit, ut & nuper letho revocasset acerbo
 Deserta matri pignora chara suæ,
 Donassetq; suum viduatis lumine lumen,
 Aspicerent clarum quò sine nube diem.
 Hac & plura simul quæ viderat omnia, Diva
 Commemorans passim spargit in ora virum,
 Protinus hinc Marthæ notas detorquet ad aedes
 Cursus, huic itidem talia voce refert.
 Illa sedens intus fratrem suspirat ademptum,
 Tristis & immensi signa doloris habet.
 Ah quoties, miseranda subit dum fratris imago,
 Illius ex oculis lacryma multa cadit:
 Ah quoties, vidui repetens incommoda tecti,
 Non dubitat scissis exululare comis.
 Qualiter immensos hausit Iuturna dolores,
 Aspera cum Turni fata propinqua videt,
 Quale vel Heliades, servantes vulnus acerbum,
 Germani casum tempus in omne gemunt,
 Sic pia virgo dolens gemit, indulgetq; dolori,
 Fletibus & dempto lumina sine rigat.
 Omnis adeo ætas, illam solantur & omnes
 Bethanie matres, Bethanieq; nurus
 Adde quòd & Solymæ veniens è finibus urbis
 Plurima lugentem turba levare cupit,

Ille

Illa sed aeterno velut obdurata dolore
 Respuit, ac odio verba levantis habet,
 Sicut ubi primum formidant vulnera tactus,
 Et medicas possunt non bene ferre manus.
 Ut tamen accessus CHRISTI pervenit ad aures,
 Suppressit lacrymas exhilarata suas,
 Et veluti Phœbe victis è nubibus exit,
 Abdita quæ piceis nubibus antè fuit:
 Non aliter pia Martha suos diffundere vultus
 Cæpit, & adventu latior esse DEI.
 Surgit, in occursum CHRISTO contendit, & illi
 Gestit germani fata referre sui.
 Mox ubi facta fuit coràm sibi copia fandi,
 Hæc lacrymas fundens tristia verba dedit:
 Siste, CHRISTE, latet necdum tibi contigit aures
 Exstincti fratris flebilis hora mei,
 En ego prima feror tanti tibi nuncia luctus,
 Nuncia fraterna mortis acerba soror.
 Sed te non fugiunt (nec enim mortalia Divos
 Fata latent) chari funera mæsta viri.
 Abs tua si citius venti modò vela tulissent,
 Quatriduo nobis si datus antè fores,
 Viveret incolumis, nec adhuc dilapsus in auras
 Germanus posset jam quoq; luce frui.
 At licet immitti decessit morte peremptus,
 Et superimpositus contegit ossa lapis,
 Tu tamen hunc iterum gelidis excire sepulchris,
 Lucis & amissæ reddere dona potes.
 Scimus enim (nec nos fallit sententia) quicquid
 Eternum posces supplice voce patrem,
 Protinus ipse feret hoc, aut majora petitis,
 Continget votis nulla repulsa tuis.
 Dixerat, & lacrymans tenues à pectore vestes
 Rumpit, & indignas sauciat ungue genas.

C

CHRISTE

CH R I S T V S at immensum Martha miseratus amorem,
 Hanc levat & dio protulit ore sonos:
 Non opus est lacrymis, mulier, non stetibus istis
 Tempus eget, numen credula disce meum,
 Disce meum numen toto mihi pectore fissa,
 Ipse tibi possum ferre salutis opem.
 Ipse queo, triplices quæ nêrunt pollice Divæ,
 Stamina divina dissoluisse manu.
 Mortis & imperium frenans ego lumina morte
 Arbitrio cuiusvis signo, resigno meo.
 Et (mihi crede) brevi felix & amabile tempus,
 L A Z A R V S è tumulo quando resurget, erit.
 Martha, sub hac : ô Nate D E I, quis talia demens
 Nesciat, aut verum te memorare neget.
 Credo quidem (nec vana fides) à morte resurget,
 Cum dederit rutilo clangor ab axe sonum,
 Fabrica cum mundi quondam consider in ignes,
 Orbis & hoc triplicis grande peribit opus.
 Rursus at excipiens illam regnator Olympi,
 O nimis infirmi femina cordis ! ait,
 Alma Patris virtus sum, Patris & alma potestas,
 Ille mihi vitæ jus dedit, ille necis,
 Nec quisquam vitale meo sine numine lumen
 Aut videt, aut stygia deserit hospes aqua.
 Quisquis in hoc ævo me complectetur, & uno
 In me confidet non dubitante fide,
 Vivet, & huic quamvis anima seduxerit artus
 Frigida mors, vitam morte solutus aget.
 Sin superat, fati necdum concessit amaris,
 Aspiciens vulnus splendide Phœbe tuos.
 Credulus inq; meo ponit jus omne salutis
 Nomine nil meritis contribuendo suis,
 Hic trahet æthereas jucundi luminis auras,
 Donec erit motus, secula donec exuna.

Hæc

Hæc ubi fatus erat, compellens nomine Martham,
Hisne fidem dictis, semina, dixit, habes?
Hæc, tibi magna fides, inquit, tibi semper habenda,
Nulla tuo fraus est, nullus in ore dolus.
Credo (nec in vanam me ducit opinio mentem)
Quòd sis cælesti de genitore fatus,
Æthere quòd missus, natusq, salutarifer orbi
Nunc ad sis, hominum quò medeare malis.
Dixerat & parvos repetens sua tecta penates,
Germanæ JESVM narrat adesse suæ,
Hæc infelicitis querens solatia luctus,
Lanifica ducit mollia pensa manu,
Ah quoties moto deducit pollice filum,
Ex oculis toties humida gutta cadit.
Scilicet usq, gemit queritans, seu Phæbe diurnos
Pallida seu noctis Cynthia flectis equos
At simul ut CHRISTVM sitientibus auribus hausit
Bethaniæ pedibus jam tetigisse solum,
Talia percepit lætanti gaudia vultu,
Qualia vel visa filia matre capit,
Vel qualis redeunte super nova sponsa marito
Gestit ovans, curas diminuitq, suas.
Nec mora, quicquid habet, projecit & evolat extra
Limina, cœu rapida concita puppis aqua,
Aut celer, ad palmæ veluti contendit honores,
Qui fuit Elæo carcere missus, equus.
Ponè sequebatur numerosæ concio turbæ,
(Solari mæstam venerat illa cohors.)
Ex sanguisq, putat subituram marmora busti,
Defleat ut fratris funera chara sui,
Ille sed ut portas & mœnia liquerat urbis,
Jamq, magis CHRISTO facta propinquafuit,
Volvitur ante pedes illius, & ora resolvens
Talia curvato poplite verba facit:

Antè tuum nobis si mitia fata dedissent
 Adventum, mundi C H R I S T E redempta salus,
 Non meus inimiti consumtus morte jaceret
 Frater, & indigna contumelatus humo.
 Duceret ad Cælo communes aëris haustus,
 Luminibus nitidum conspiceretq; diem.
 Talia dicentis lacrymæ fluxere per ora,
 Quale liquecenti de nivæ flumen abijt.
 At Patris æterni soboles humentia fletu
 Hujus, & ut populi lumina mæsta videt,
 Ingemuit, cordisq; dolens suspirat ab imo,
 Mæstiliam vultu testificante suam,
 Germanasq; sibi circumstantemq; coronam
 Ostendi tumulum, quo posuere, jubet.
 Illa veni, clamat, J E S U lustrare sepulchrum,
 In quo defuncti condita membra jacent.
 His super auditis vitæ dominator & autor
 Plorat & undanti proluvit imbre genas;
 Qualis ubi genitrix chari (miserabile) nati
 Accepit terra corpus mane tegi.
 Has lacrymas, hos singultus hæc signa doloris
 Plebs oculis vidit cum Jacobæa suis,
 Obstupuit, quantoq; simul, conjectat, amore
 Lazaron amplexus, ter bone C H R I S T E, fores
 Pars verò, cui dira fuit blasphemia cordi,
 Nonne per hunc captus lumine cernit? ait,
 Scilicet usura lucis donavit egentes,
 At minus huic potuit pellere fata viro.
 Sic sonuit blasphema cohors, sed Olympius H E R O S
 Hinc tumulum gressu non remorante petit.
 EÛ procul à portis longo spelunca recessu,
 Purpureo somno nobilitata domus,
 Non radius illuc Titan seu prodit ab undis,
 Seu cadit, aut medius splendet, adire potest.

Aera

Aëra solum caligo premit, non nuncia lucis
 Ales ibi rutilum provocat ore diem.
 Non ibi turba canum latrat, nec garrulus anser
 Ingratos cantus ore strepente facit,
 Nec pecus, aut frondes agitata murmura vento
 Rauca cient, hominum cessat & inde sonus.
 Alca quies illic, medium tamen usq; per antrum
 E Stryge lethæi vena liquoris abicit.
 Ante fores apium nec non absynthia canis
 Floribus, & juxta mæsta cupresse vires.
 Intus Hyoscyamus, smilax, gravidumq; papaver
 Omne soporifero replet odore solum.
 Hic etiam fratris bustum posuere sorores,
 Et signum luctus hic statuere sui.
 Huc aditum, magno cœtu comitante, ferebat
 Qui Dominus vitæ juraq; mortis habet.
 Dumq; subire parant antrum caligine cœcum,
 Ecce levis surdas mors sedet ante fores,
 Vestibulumq; domus geminis armata pharetris
 Seruat, & accessu vult prohibere viros,
 Hanc prope consistunt nentes fatalia Parcæ
 Stamina, peccatum, tartareusq; Draco,
 Signaq; tollentes pariter contraria CHRISTO,
 Turpiter opponunt pectora sæva DEO.
 Non tulit hoc animis CHRISTVS, scelerataq; monstra
 Hoc magis it contrà, quò magis illa vetant,
 Non aliter quàm si torrentem lenè videres
 Currere, currenti quàm nihil obstat aquæ,
 At quacunq; jacet moles opposta, retentus
 Fervet, ab objectu se viuis atq; ruit.
 Utq; leo præda raptores exiit ursos,
 In celerem vertens hostica terga fugam:
 Sic prædam CHRISTVS, quam mors in jura redegit,
 Retrahit, ac hostes de statione fugat.

Diffugiunt omnes, inhonestaq; vulnera tergo
Accipiunt, D O M I N O protinus antra patens.
Ingreditur, turbam vastumq; revolvere saxum,
Impositum tumuli quod tegit ora, jubet.
Jussa facit, saxumq; movet, dum Martha reclamans,
Quid facis? ò lapidem turba relinque, refert.
Obicis est instar, tetrumq; repellit odorem,
E busto manans qui gravis exit odor.
Nam quater aethereo maduerunt gramina rore,
Jamq; suum pastor claudet ovile quater,
Dum misera mea defuncta cada vera fratris
In gelido tellus condit avara sinu.
Dixit, at huic contra dixit pulcherrimus H E R O S,
An non sunt verbis consona facta meis?
Annon virtutes oculo mirante Johæ
Te spectaturam diximus ante tibi?
Nempe bibas cupida si nostras aure loquelas,
Si mea non dubio pectore verba notes.
Jamq; lapis revolutus erat, cum maxima magnum
Sic Patrem Soboles per sua vota vocat:
Gratia magna tibi, faciles quod porrigis aures,
O Pater, incassum nec finis ire preces.
Tu scio, tu nunquam durus mea vota repellis,
Difficilis proli non potes esse Pater.
Sed tamen ob populum, circumfusamq; catervam
Hæc loquor, hæc calo vota precesq; fero,
Scilicet ut videat, vidit quod & ante frequenter,
Numinis existat gloria quantatui,
Quale decus Sobolis: nec me tua pignora natum
Respuat, asq; ortum credat habere polo,
Et mihi confidat soli, dum cernere Solem
Cernit, qui pridem putre cada ver erat.
Sic ait & tumuli contingens marmora, luce
Defunctum dio sic vocat ore virum:

L A Z A R E surge, veni, gelidis exiit sepulchris,
Lumen ad aethereum, L A Z A R E, surge, veni.
Vix ea fatus erat, subito tremit ecce sepulchrum,
Visq; suggestum terra movere solum,
Quiq; quater Phœbi rutilos non viderat ortus,
Et totidem noctes aethere cassus erat,
Prodit, & quinti cernit data lumina Solis,
Incipit & calo liberiore frui.
Agnoscent volucres Reducem, ramoq; virente
Daulias hunc dulci voce salutat avis.
Grataturq; suo mons Pallade fœtus alumno,
Sidera quæ tangunt, dum iuga celsa mover.
Et levis aurarum blanditur spiritus illi,
Vos etiam juxta grata sonatis aquæ.
Obstupuit pavitq; metu, dum talia cernit
Vulgus, & in gelido pectore frigus erat,
Utq; calor rediit, vicino qualis hic? inquit
Quisq; suo, functos num revocabit homo?
Dii geniti potuere, negant mortalia posse,
Grandius est hominum viribus illud opus.
His dictis vittasq; viro dissolvit, & ipsi
Veste Palestina corpora nuda regit,
Inq; resurgenti fixis obtutibus hæret
Turba, nec expleri corda tuendo potest.
Scilicet in Reducis vultu juvat usq; morari,
Quasq; tulit varias morte, notare vices.
Ille levans vultum Judaica circumspexit
Agmina, presenti disseruitq; choro,
Quæ leti facies, & in ipso funere quanta
Jam jam casuro sint patienda viro.
Ut furie circum tristes & Erinnyes errent,
Luctanti pavidos incutiantq; metus,
Vitaq; cum gemitu fugiat scelerata sub orcum,
Quæ non Messia nomine clausa fuit.

At qui-

At quibus in CHRISTO mansit spes fixa salutis,
 Ejus & in sanctas fata dedere manus,
 Non pavor, adæ adsit niveus chorus ætheris alti,
 Terrentumq; procul turpia monstra fuger,
 Vitaq; ceu placido tandem devicta sopore
 Cedat, & oprato migret ad astra gradu.
 His addit scelerum pœnas, & leta piorum
 Que mox post obitus præmia quisq; ferat.
 Talia narrantem cuncti mirantur, & inde
 Pars populi CHRISTVM non simulanter amat.
 Dumq; nigrescenti properabat vesper Olympo,
 LAZARON ad notas it comitata domos,
 Antè tamen signans operosum carmine marmor,
 Incidit tali verba legenda modo:
 LAZARVS hîc jacuit Christi fidißimus hospes,
 Quem sua jam quartum texerat urna diem.
 MOR S rapuit vitam, sed CHRISTVS reddidit illi,
 Quem CHRISTVS revocat, MOR S retinere nequit.
 CHRISTE salus mundi, lapsò qui fine dierum
 E tumulto facies quemq; redire suo,
 Da, precor, extremi meditemur funeris horam,
 Qua fuerit somni mors obeunda soror,
 Inq; tuo semper degamus lumine vitam,
 Vitantes noctis triste nocentis opus.
 Ne non, ante tuum sistemur quando tribunal,
 Omnia quò fiant te retegente palam,
 Judice te Superùm celesti sede recepti
 Morte tua partas percipiamus opes.
 Interea merita solvemus munera laudis,
 Et tibi de nostro carmine surget honos.
 Te nascente die, te decedente canemus,
 Donec siderei nos vocet aula poli.

De q̃ d'ſſæ.